

~~EX BIBLIOTH.~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-15.

SIGNAT. ~~c1515 CCCXIII.~~

Differet. theor. Vol. 35

einzelv verzecht 4. III. 1915



בג"ה  
DISSERTATIO  
*DE*  
**NOMINIBUS  
DEI IN GENERE,**

Qvam  
Adsistente Supremo Nume  
In celeberrimâ Leucoreâ


*PRÆSES*  
**M. GEORGIUS Schivarße /**  
Greifsvvaldiâ Pomeran.

ET RESPONDENS  
**JOHANNES GEORGIUS Rhein /**  
Coronæ-Montanus.  
publico Eruditorum examini sistunt  
*In Auditorio Minorī*

Ad diem XVIII. Augusti horis antemeridianis

ANNO Χριστοβούλιας M DC LXXVII.

WITTE BERGÆ,  
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



בשׁ

לֹא לְנוּ וַחֲהָה לֹא—לְנוּ כִּי—לְשָׁמֶר הַן כָּבוֹד עַל—חִסְרָךְ :  
Ita Psaltes Regius Pl. CXV, i. Non nobis Je-  
hova, non nobis, sed Nominis tuo da gloriam, propter misericordiam  
tuam, propter veritatem tuam. Nimisrum constituerat David  
hoc Psalmi liberationem a gentium insultationibus petere. Ut  
vero eandem eo cito impetraret, statim in frontispicio non ad  
propriam dignitatem, sed ad Dei gloriam, misericordiam, &  
veritatem provocat. Ignarus siqvidem non erat, tantum abes-  
se, ut intuitu propriæ dignitatis vel justitiæ aliquid posset con-  
seqvi, ut potius eadem graviores subinde mereretur pœnas. Per  
Epizeuxin igitur repetit, Non nobis, Non nobis, majoris tum ar-  
doris, tum humilitatis ergo, ut opinionem proprii meriti a se  
penitus removeat. Pergit vero, sed Nominis tuo da gloriam, pro-  
pter misericordiam tuam, propter veritatem tuam, Deum ad sui li-  
berationem triplici permoturus argumento: (1) Nominis tuo, in-  
quit, da gloriam i. e. insigni hocce liberationis opere te tuamque  
famam conspicuam reddas, hominesq; ad tuū celebrationem ex-  
fuscites: (2) Propter misericordiam tuam, q. d. Volupe tibi alias est  
hominibus, præsertim piis atque supplicibus opem ferre: Age  
igitur, nobis quoque jam succurras, & tua benevolentia nos ad  
obsequium ac amorem magis magisque incites. Sed addit (3)  
Propter veritatem tuam q. d. Tua in servandis promissis veraci-  
tas, nobis toties totiesque innotuit. Fac igitur ne, spretis pre-  
cibus nostris, illa jam in dubium vocari possit. Et haec quon-  
dam divinus Psalmographus. Ego vero, quæ quondam Psaltes  
πατέρων ματρὸς αὐγῆς Φερόμενος elocutus est, non præter rem  
mea jam facio. Tanta siqvidem Dei T. O. M., Patris illius be-  
nignissimi in me ab incunabulis extiterunt beneficia, quanta nec  
mente asseqvi, nec Oratione complecti valeo: Hæc quoque omnia  
non ob proprium meritum, sed ob nominis divini gloriam, di-  
vinamque misericordiam & veritatem mihi præstata esse, facilis  
intelligo. Hinc Dei mei jam agnosco merita, dicendo: Non  
mihi

mihi Domine, non mihi, sed Nomini tuo dedisti gloriam', propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam. Quid & cum Patriarcha non possum non hic profiteri publice ex Gen. XXXII, 10. קָטְנַתִּי מְכֻלָּה חֲסֹרִים וּמְכֻלָּה הָאֶמֶת אֲשֶׁר בָּרְכֵי נֶפֶשִׁי. Et cum Psalte ex Ps. CIII, 1. עֲשֵׂית אֶת־עַבְרָךְ: אֶת־יְהוָה וְכָל־קָרְבֵּי אֶת־שָׁם קָרְשׁוּ: בָּרְכֵי נֶפֶשִׁי: אֶת־יְהוָה וְאֶל־הַשְׁכָחִי כָּל־גָּמְלוֹיו: Præsertim autem de divinis disputaturus Nominibus, arduum & humeris meis forsitan impar aggredior opus. Non igitur mihi Domine, non mihi, sed porro Nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam. Da Nomini tuo gloriam, ut de Nominis recte sapiam, & dextre loqvar, & omnia vergant in Nominis tui sanctissimi gloriam. Præmitto hasce Dissertationum primitias in Nomine tuo, cum Nominis tuo, & de Nominis tuo. Adsistas igitur clementissimus ob nominis tui gloriam, iterum iterumque supplico. FIAT.

§. I.

**V**Ere recteq; dicuntur Nomina τῶν περιγμάτων ὄχηματα, & τὰ οὐόματα qd. τῶν οὐτῶν νοήματα, cum in ipsarum rerum cognitionem nos soleant deducere. Notum etiam illud: τοὺς τὸ οὐθῶς διδάσκειν δεῖ περιττως ἐξεράγειν τὰ οὐόματα. Proinde eorum labor non videtur esse de nihilo, qd in divina inquirunt Nomina. Præsertim cum tota nostra de Deo cognitio non nisi sit Grammatica, & summa eorum, quæ de Deo cognoscimus in nominibus ipsius continetur, ut B. Chemnit. & Dionys: de Divin. Nomin. afferunt.

§. 2. Competere a. Deo certa quædam nomina, negari vix potest, cum S. S. tot in locis eadem ipsi tribuat. Voces etiam sunt signa conceptuum, & iis mediantibus ipsarum rerum: Hinc sicuti Deum aliquo modo cognoscere, ita & nominare possumus. Quando igitur S. S. & qvidam ex Patribus Deo nomen denegant, id non αὐτλῶς, sed κατάν intelligendum est. Sic Agur quidem Prov. XXX, 4. Qvod nomen ejus, inquit, & quod nomen Filii ejus? Si nosti. Et Damascen. L. i. de O. F. c. 13. τὸ θεῖον, ait, αὐταὶ λέπτον πάντας, οὐδὲ αὐτούμονες. Sic & Justin. in paræn. ad Græc; Eteri omnino non potest, ut proprium aliquod Deo nomen

nomen attribuatur, propterea, quod nomina ad designationem & distinctionem subjectarum rerum imponantur, quae variae sunt & multae: Deo autem, qui nomen inderet, nemo ante eum existit, neque ipse seipsum nomine aliquo designare opus duxit, unus & solus existens &c. Conf. etiam Galat. de A. C. V. l. 2. c. 10. &c. Sed haec & alia, quae prima fronte Deo videntur denegare nomen, cum gran- no salis accipienda sunt. Scilicet de nomine Dei, totam rei no- minatae essentiam perfecte exprimente, & adaequate nobis re- presentante explicari debent. Tale nomen Deo non compete- re auctoritatem concedimus. Deum enim incomprehensibilem esse, & a nobis cognitione non comprehensivam, sed quidditativam, ut loquuntur, cognosci, quis ibit insicias? Hinc etiam nomen plene ejus essentiam atque attributa exprimens, & nos in ejus cogni- tionem perfectam ac comprehensivam deducens non habet. Nam secundum quid aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari, afferente Thoma p. 1. q. 13. a. 1. Proinde no- mina non quidem adaequate & perfecte, inadaequate tamen & a- liqualiter nobis Dei naturam sistentia, Deumque ab aliis rebus discernentia, statui possum.

§. 3. Originationem Nominis quod attinet, Nomen iuxta Priscianum dicitur a Graeco ὄνομα per Aphæresin τρόπον: Juxta Fe- stum quasi novimen, quod nobis notitiam faciat: Juxta alios quasi notamen, quod nomine uniuscujusque substantiae qualitates notare soleamus: Graecorum vero ὄνομα Plato οὐδὲ τὸ ὄντα εἰδεῖς ab inquirendo ente: alii a νέμεσι tribuendo derivant. Sic & Hebraeorum ονοματά deducunt alii a ονοματά Ibi, cum nomen rei dicere, sit rem quasi IBI sistere. Rectius autem derivatur a R. hodie a- pud Ebraeos inusitata ονοματά, restituendā ex Syriaismo, ubi est نَمِ, vel Arabismo, ubi نَمِ, &c. nomen impo- suit, nominavit. Conf. Etymol. Orient. Hotting. & Hodog. Orient. Harm. Nicol.

§. 4. Est quoque vox NOMINIS ἐκ τῶν πολλαχῶς καὶ πο- ταχῶς λεγομένων. Nomen enim sumitur (1) pro vocabulo

proprio , quo rem nominamus , ut Raphael , Johannes , Bucephalus &c. (2) pro quolibet vocabulo , quo aliquid irtel- ligibile vel intellectum efferimus , ut Homo , Doctus , Clamo &c. (3) pro eo , quod nomine exprimitur , sic nomen Latinum , Romanum , Volscum saepe pro ipsis Latinis , Romanis , aut Volscis est apud Livium . (4) Pro famâ , existimatione , atq; honore : Sic Vir magni Nominis est vir magnæ existimationis : Et Ovidius : magnum & memorabile nomen &c. (5) Aliter quoq; Nomen in Logica , aliter in Grammatica sumitur : Quæ tamen hic pluribus referre , jam nil attinet . Conf. Clav. SS. Flacii P. 1. & Lexie. Philolog. Martin.

§. 5. Ita etiam in specie Nomen Dei aliquando adhibetur (1) pro vocabulo , quo Deum appellamus , sic יְהוָה , אֱלֹהִים &c. dicuntur Nomina Dei (2) pro ipso Deo in veritate sua essentiali & personali , cum omnibus attributis , omnibus actionibus , omniq; gloriâ , quæ de ipso efferti possunt . Sic sanctificare ac invocare nomen Dei , est Deum ipsum sancte habere & colere , & omnia dicta , cogitata , ac facta ad Dei destinare gloriam : Sic Ps. XX, I. dicitur , Protegat te Nomen Dei Jacob &c. Et Ps. IX, II. Sperabunt in Te , scientes nomen tuum i. e. credentes tuam misericordiam ; omnipotentiam , & vera veracitatem . Prior acceptio à nobis hac vice attenditur .

§. 6. Sed nomina ita pro vocabulis , quibus Deum appellamus , sumta , distinguuntur denuo in Subjectiva , & Prædicabilia . Subjectiva vocari solent , quibus Subjectum , Deus ipse designatur , quæ sunt יְהוָה , אֱלֹהִים &c. &c. Θεός , Κύριος . Prædicabilia , quæ de hoc Subjecto prædicantur , quæ sunt שֶׁרֶד , גָּבָר , עַלְיָן , שְׁרֵד , גָּבָר , עַלְיָן &c. Nos iterum hic non tam de Nominibus Prædicabilibus , quam Subjectivis sumus solicii . Nomina siquidem subjectiva stricte ac proprie : Prædicabilia , late Nomina Dei dicuntur : Imo potius attributa , quam Nomina Dei salutantur . Ubi tamen illud , quod Magnif. Dn. D. Calov. in Theol. Natur. & Revel. p. 211. & B. Gerhard. in LL. CC. L. II. c. III. pro more accurate monent , prætermitti minime debet . Sicuti Subjectum & attributa in Deo non realiter , sed ratione differunt , ita quoq; Nomina

Nomina Subjectiva & Prædicabilia facile inter se permuntantur, ut Subjectivum prædicetur, & prædicabile subjecti penatur loco. Sic dicitur Ruth. I, 20, 21. וְשֶׁרַי הָרֻעַל וְשֶׁרַי מָאֵד & חֲמֹר שְׂרוֹ לִי מָאֵד. Omnipotens i.e. ipse Deus afflxit me: Ps. IX. 3. אָזְמָרָה שְׁמָךְ עַלְוֹן. Sic quoq; de Christo dicitur, Luc. I, 32. Καὶ υἱὸς σὺψίσταις αληθήσεται: Et Act. VII, 48. Αὐτὸν ἡ ψῆφος τοῦ χειροποίητος παῖδες κατέτινε. &c. Et contra nomina alias Subjectiva stant loco prædicati e.g. Exod. XX. 5. Deut. V, 9. אֱנֹכִי יוֹהָה אֱלֹהִיךְ Ego sum Jehova Deus tuus.

§. 7. Porro distingvimus hic Dei nomina in propria & improppria: Ubi tamen ante omnia, quid per Nomen proprium & impropprium intelligimus, explicandum est. Nomen Dei proprium vocamus, quod dicit in Deo perfectionem aliquam simpliciter: Impropprium, quod dicit perfectionem secundum quid. Quid vero sit perfectio simpliciter? quid secundum quid? pluribus declarare, nostri jam non est instituti. Anshelmus appellavit alias perfectionem simpliciter, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa: Sed hæc descriptio quodammodo obscura est. Clarius: Perfectio simpliciter dicitur, quæ in conceptu suo proprio ac formali nullam involvit imperfectionem: Perfectio secundum quid, quæ involvit aliquam: Illa igitur nomina, quæ talem perfectionem simpliciter in Deo inferunt, hic vocamus Dei nomina propria, ut יְהֹוָה, וְהֹוָה &c. Θεός, Κύριος. Ad quæ Nomina propria etiam referre possumus Nomina attributorum divinorum, Misericordiæ, Justitiae &c. item nomen Essentiaæ, Patris, Filii &c. Quæ licet in materiali conceptu, prout sunt in creaturis, quandam involvant imperfectionem, nihilominus tamen, cum id non faciant in conceptu formali, itidem perfectionem simpliciter inferre, recte dicuntur. At vero quando Deus dicitur, Homo, Leo, Sol, Lux &c. illa dicim⁹ nomina improppria. In formali siquidem & proprio conceptu imperfectionem dicunt. Esse enim Animal rationale vel irrationale, Corpus simplex vel mixtum, atque imperfectionem infert. Cœterum, quo pacto nomina attributorum, & illa, quæ Deus cum Creaturis habet communia, ac tamen perfectionem simpliciter dicunt, Dei nomina propria vocentur, hic disceptari potest. Thom. p. I, q. 13. a. 3, hac de re ita differit: *In rationalibus nominibus duo considerantur*.

consideranda esse, perfectiones ipsas significatas per nomina, & modum significandi: Quæ verba B. Klotz. in Theol. Nat. Disput. IV. §. 12. sic interpretatur: Perfectiones ipsæ, sicuti perfectius & eminentius sunt in Deo quam in creaturis, ita etiam nomina, quoad perfectionem significatam eminentius & perfectius Deo, quam Creaturis convenient, & magis proprie ac intimius de Deo quam creaturis dicuntur, ut v.g. Deus dicitur justissimus, sapientissimus &c. Modum v. significandi quod concernit, videtur in nominibus (præsertim, quæ à Creaturis desumpta sunt) nonnihil esse improprietas, quia Deum, ejusque perfectiones non significant tam exacte & adæquate ut sunt in se, sed instar rerum creatarum, quarum similitudine cognoscuntur per detractionem vel præstantiam, aut alio modo. Nomen Sapientiae v. g. primo inventum est, ut significaret habitum intellectus, qui cerebros actus eliciat, ad ignotum à noto discurrat &c. Quo sane significandi modo Deo proprie non convenit. Hæc B. Klotzius. Verum Magnif. Dn. D. Calov. Tom. II. System. p. 115. hæc non sufficiunt, cum modus concipiendi naturæ rei conformari debat: Hinc necessum esse, inquit, ut conceptus ille communis, quem analogice Dei & nostra Sapientia, Essentia &c. participant, à specialibus conditionibus, sub quibus in nobis reperiuntur, præscindat. Tum vero inter horum nominum formale s. abstractam & communem rationem, & inter eorum materiale, quo accidentale aliqvid vel imperfectionem in nobis connotant, subtilius distinguit. Ut ita talia nomina quoad formale vere proprieq; licet Analogice & eminentiori modo, Deo convenient; Quoad materiale, non item. Notanter autem dicitur, Analogice & eminentiori modo: Formale enim horum nominum, licet Deo ac Creaturis vere proprieq; competit, tamen non Univoce: Deus siquidem nil habet commune cum Creaturis per Univocam convenientiam. Sed omnes perfectiones in Deo sunt infinitæ, in Creaturis finitæ; in Deo independenter, in creaturis dependenter: Hinc utique Deus & creaturæ de formalib[us] horum Nominum non nisi Analogice sc. per attributionem intrinsecam participare possunt, ut Deo illud convenientat principaliter & primario, creaturis secundario. &c. Agimus autem

hic iterum de nominibus Dei non impropriis, sed propriis,  
qvæ simili Subjectiva esse possunt.

§. 8. Sunt autem nomina Dei, voces ipsum Deum subjective  
desribentes, & nos in aliqualem ejusdem cognitionem deducen-  
tes.

§. 9. Non accuratam definitionem, sed qvalemcunque  
descriptionem à nobis hic dari & exspectari posse, præsupponi-  
mus. De nominibus enim agimus: Non autem nomina & vo-  
ces, sed res, ut Nostrates communiter docent, sunt in prædica-  
mentis. Hinc etiam nomina & voces accurate definiri non  
possunt, cum definitiones ex prædicamentis petendæ sint. Imo  
Deus ipse, dicente Damasceno, est Θεός, & omnia tran-  
scendendo prædicamenta accurate definiri non potest. Qvod  
contra Averrhoen, Scotum, Piscator, Vorstium, Mendoza, F. B.  
Spei, Arriag., Dilherr., Zeifold. &c. &c. præter Patres Cypria-  
num, Basilium, Hilar., Augustin. Damascen., & è Scholasticis  
Thomistas, Nostrates obtinuerunt hactenus. Multominus igi-  
tur divina nomina qvis accurate definire poterit.

§. 10. Dicimus autem nomina Dei, esse voces, & sic con-  
ceptum expressimus contrahibilem: Sunt vero nomina Dei h. l.  
nobis voces, cum de nominibus Dei in præsenti, juxta §. 5. non  
agamus, qvatenus sumuntur pro re ipsa, Deumqve ipsum signi-  
ficant, sed qvatenus sunt vocabula, qvibus Deum appellamus.  
Voces autem articulatas, literisque distinctas nos intelligere, vi-  
det qilibet. Quid enim hic nobis cum vocibus in articulatis,  
qvibus bruta affectus suos naturales exprimit? De vocibus et-  
iam significantibus nobis sermonem esse, obscurum itidem esse  
nequit.

§. II. Sed monuimus porro, Nomina Dei esse voces Deum  
Subjective describentes, & nos in aliqualem ejus cognitionem deducen-  
tes: Qvæ verba nobis conceptum contrahentem, potissimum  
ab officio & usu horum nominum desumtum suppeditant. Di-  
cuntur autem (a) hæc nomina Deum Subjective describere, ut di-  
stinguantur à nominibus prædicabilibus & attributis divinis.  
Illa siqvidem, ut jam ante monitum, etiam nomina vocari so-  
lent,

lent. Sed sunt saltem nomina prædicabilia : Nec , ut hæcce nomina , Deum describunt, sed quasi modificant. (b) Hæc nomina , nos in Dei aliqualem cognitionem deducere , afferuimus. Eum siquidem in finem inter alia Deus sua revelavit nomina, ut ex illis, cum propter imbecillitatem intellectus nostri aliter non liceat, cognosci posset. Sic nomina אֱלֹהִים &c. à R. רַבָּה FUIT, docent divinæ essentiæ independentiam , immutabilitatem, & simplicitatem : אל ab obsoletâ R. אֱלֹהִים ROBUSTUM ESSE, divinam omnipotentiam : אלה ab אלה CO-

LUIT, divinam σεβασμιότητα, קָדְשָׁה à קָדְשָׁה AUCTÓRITAS, divinam Majestatem & auctoritatem &c. Dicitur autem hæc cognitio saltem aliqualis : Nam nomina perfectam & adæquatam de Deo suggestia scientiam nobis deesse §. 2. probatum dedimus.

§. 12. Varias quidem variis Nominum Dei divisiones affere solent : Qvarum tamen plurimæ , potius ad distinctiones nominales referendæ sunt. Nos dividimus ea (1) ratione impositionis in Divina atque Humana : Per divina nomina non intelligimus tantum illa , quæ Deus in S. S. sibi ipsi immediate imposuit, sed & omnia illa , quibus viri Θεοπνευστοι eum appellarent. Ipsi enim non tantum res sed & verba Sp. S. immedia te inspiravit : Qvare & illorum verba merito divina nuncupantur, & nomina etiam, quæ Deo indiderunt, pro divinis recte censentur. Sic vero nomina Dei divina sunt illa Hebræa & Græca, quæ in Textu authentico V. & N. T. occurrunt. Humana autem Dei nomina sunt vel Christiana, vel Rabbinica, vel Pagana , à Christianis, Judæis, vel Ethnicis inventa & adhibita. Præprimis autem hoc quoque spectant nomina Dei, quæ in versionibus S. S. occurrunt. Zanchius eqvidem l. i. de Nat. Dei c. 3. nomina, quæ in versione LXX. leguntur, excipit, & pro divinis habet, quod Apostoli illa versione usi, eam approbaverint. Nos tamen ab ejus partibus stare non possumus, cum usus particularis alicujus versionis, non statim totius versionis approbationem & auctoritatem arguat. Disputant autem hic iterum Scholastici, utrum Deo solum à beatis, an vero etiam à viatoribus nomen imponi possit,

possit, quod ipsum essentialiter & quidditative significet per proprias non alienas species, sicuti ipse est? At jam ante à nobis responsum fuit, Deum non habere nomina, ejus essentiam perfecte & plene experientia, cum eadem sit incomprehensibilis. Hinc nec Beati, nec Viatores tale nomen Deo possunt indere. Nihilominus tamen, cum Beati & Viatores quandam de Deo notitiā habeant, quædam etiam nomina discretiva eos Deo posse imponere recte dicimus. Cumq; Beati præ Viatoribus Deum perfectius cognitum habeant, perfectioribus quoque Deum posse insignire nominibus non negamus. Vasquez. T. I. Disput. 57. c. 2. alias hanc rem ita explicare gestit: *Mensuram significationis nominum desumi posse vel ex eo qui nomen imposuit, eog; utitur, vel ex eo, qui conceptum loquentis audit & intelligit.* Tumq; non priori, sed posteriori modo Viatores Deum posse nominibus notare, ad significandum Deum quidditative, per proprias species, uti est in se, præter Capreolum, Cagetanum, Ferrariensem B. Klotzius l. c. autumat. Sed nec Beati alio modo Deo possunt nomen imponere. Quamvis significatio nominis magis ex mente imponentis, quam nomen illud audentis vel intelligentis petenda sit. Præprimis si nomina illa non temere, sed ex consilio & ob certam rationem ac analogiam imposita sint.

§. 13. Nomina autem illa divina, quæ in Textu Ebræo atque Græco occurunt, potiora hæc sunt: אֱלֹהָה / יְהוָה / אֱלֹהִים / אֱלֹהִים (cujus pl. Θεος, Κύριος, &c. Ad quæ etiam nomina personalia, quorum in §. 17. mentionem fecimus, pertinent. Hieronymum igitur, qui T. 3. in Epist. ad Marcell: decem Ebræa nomina numerat, non seqvimur: Sic autem recenset (1.) אל (2.) אלהים (3.) אלה (4.) צבאות (5.) עליון (6.) אלה (7.) אשר (8.) יה (9.) יהוה (10.) שדי. Sed (α) אלהים & אלהים non sunt distincta nomina, cum unum stet in statu absoluto, alterum in constructo. Quid potius singulare אלה ponendum fuisset. (β) cum nunquam absolute de Deo usurpetur & significet exercitum seu creaturas coeli & terræ, quibus Jehovah præst, nomen Dei esse non potest. Et quamvis Ps. LXIX, 7, & LXXX, 5, 8, יהוה צבאות & אלהים צבאות quasi per appositionem.

sitionem dicatur, itemq; Paulus Rom. IX, 29, & Jacob. V, 4, vocem συββαώθ̄ retinuerint, tamen id parum vel nihil evincit. Nam id factum est ibi per Ellip̄sin, hic ob certam Emphasin. Nec voces Ebrææ, qvæ in Nov. Test. servantur, statim sunt nomina propria, ut Hosanna, Halleluja, Pascha, &c. (γ & עליון) שׁרֵי etiam non pro nominibus stricte sic dictis, sed attributis divinis habemus. Multominus autem eorum sententiam nostram facimus, qui nominibus divinis Ebraicis annumerant (1.) חָוָה ex Es. XLII, 8, & Psal. CII, 28, ut Galat. de A.C. V. I.3. c.23. & Reuchlin. de Verb. Mirific. I. 2. c. 16. Nam illud חָוָה ibi respicit præcedens nomen יְהוָה, hic verò vertendum est IDEM. (2.) אֱלֹהִים ex 2. Reg. II, 4, ut Johan. Wemes. Nam Aposiopesin hic esse inspecto Textu patet. (3.) אֶחָד, ex Zach. XIV, 9, Devter. VI, 9, &c. ut idem Wemes. Nam vox hic & alibi non substantive, sed adjective accipienda est. (4.) בָּחָר ex Gen. XXXI, 42. 53, ut Reuchlin. I. c. Nam id peculiare Dei prædicatum, non generale ejus nomen est.

S. 14. De nominibus Christianis cuilibet notis, ut multa dicamus, operæ pretium non videtur. Potissimum hic nomina Dei, qvæ apud Orientales in usu fuerunt & sunt, recensere animus est. Vocatur autem Deus apud Chaldæos אלְהָה & Emphatice

אֱלֹהִים: Apud Syros אֱלֹהִים & אֱלֹהִים: Apud Samaritanos אֱלֹהִים: Apud Arabes אֱלֹהִים vel אֱלֹהִים seu cum articulo אֱלֹהִים (& qvod in precibus ac Alcorano adhibetur אֱלֹהִים אֱלֹהִים), qvod non abludit ab Hebr. אלְהִים & אֱלֹהִים seu cum articulo אֱלֹהִים: Apud Persas אֱלֹהִים (conveniens cum Germanico nostro גָּדוֹלָה) & אֱלֹהִים Dominus s. possessor cœli ex Genes. XIV, 19, אֱלֹהִים קָדוֹשׁ Dominos faciens, אֱלֹהִים בָּקָר educator, &c. Apud Turcas (præter illa nomina

mina, qvæ ex Arabismo petierunt) : Apud Æthiopæ Ygziabher Dominus orbis terrarum, & Amlâk Rex scil.  $\text{נָאֵל}$  εξοχήν : Apud Ægyptios Θεος (qvod ut multa alia Græco Θεος responderet, & à qvo non procul abest Mercurii Trismegisti Θωρακιος vel Θωρακης, cuius honori etiam mensis consecratus est, vid. Kircher. Prod. Copt. c. 7. pag. 175.) & ΠΙΝΟΓΤ f: ΟΓΝΟΓΤ, & Φτ (qvod alii contractum, sed Kircher. I. c. c. 6. expansum censet, & in eo cum nomine ΖΩΗ congruit, qvod non formet pluralem, nec affixa recipiat) Apud Armenos, dicente Kircher. I. c. *Astuati* & *Heli Hubel*: Apud Tschinenenses, ut patet ex eodem Kircher. I. c. c. 3. Olò (qvod respondere videtur אֱלֹהִים) cui in scripto illo Sinistro, qvod Kircherus habet, additur, ὁ γὰρ sine principio &c. &c. De cætero hic observare solent, nomen Dei apud omnes ferme gentes esse πτεραγγελματος: Qvod præ aliis quidam Johan. Melch. Mader. in Orat. de num. tern. pag. 35. prolixe sibi demonstrandum sumvit. Causam hujus rei diversimode solent expondere: Carol. Franc. de Abra dicit, id factum esse ad indicandam Dei immutabilitatem, qvod figura quadrata constans & firma, sit constantia & firmitatis argumentum. J. Bajus, Jesuita, in Instit. Religion. Christ. I. i. c. 3. eo ipso significari ait, quadruplicem Dei excellentiam, in essentia, in esse suo, in virtute, in operatione. Alsted. in Lexic. Theol. pag. 76. censet, hoc ipso non obscure significari, nomen Dei in quatuor mundi plagis decantandum esse. Zanch. lib. i. de Nat. Dei cap. 13. id factum esse judicat, qvod omnes intellexerint apud Ebraeos, qvorum religio semper fuit celeberrima, & apud quos verus Deus habitare dicebatur, nomen Dei quatuor constare literis. Sed sit fides penes Auctores. Non sub qvo vis lapide latet gobius.

§. 15. Porro nomina Dei Rabbinica sunt (i.) : Qvod alii pro εγγονί Φω ex Lev. XXIV, ii, & Deut. XVIII, 58, sed minus recte habent, cum ibi sit ellipsis nominis יְהוָה, hic statim, qvodnam sit illud nomen, sc. יהוה אליהך יהוה addatur. Inde vero ortum est illud, בְּגִבּוֹרַת הָשֵׁם בְּגַה, i.e. Potentia Domini, ope & auxilio Dei : Item בְּעֹזֶת הָשֵׁם וּשְׂוֻעַתּוּ בְּעָזָה / i.e. Auxilio Dei

Dei & salute ejus (2) **הַמָּקוֹם** Locus: Qvod itidem alii pro Biblico  
ex Exod. XXXIII, 21, sed insulte reputant. Nam l. c. dicit Jeho-  
va **הַנֶּה מָקוֹם אֲנוּ** non **הַנֶּה מָקוֹם אֲחֵינוּ**. Hoc autem nomine  
Rabbinos Deum appellare **καὶ αὐτόφερον** quasi illocalem, insi-  
nitum Buxtorff. in Lexic. Ebr. refert. Sed forsitan Rabbini, quos i-  
pse Lexic. Thalmud. citat, alias hujus denominationis rationes  
habent. (3.) **הַשְׁמִים** Cœli, metonymice pro cœli conditore  
& præside: Inde dicitur **בְּשֵׁם שְׁמָיוֹת** i.e. **in nomine Dei**:  
item **כָּל־טָעֵשִׂיך וְרוּחָ לְשֵׁם שְׁמָיוֹת** Omnes actiones tuæ siant in  
nomine Dei. Ex quo nomine Rabbinico etiam communiter locum.  
Matth. XXI, 25, Luc. XX, 4, & c. XV, 18. interpretari solent. (4.)  
**קוֹפֵר עֲקָר** fundamentum: Inde Rabbinis abnegans Deum  
seu atheus vocatur (5.) **הַשְׁכִּינָה** majestas seu præsentia Dei, Spi-  
ritus S. Hoc nomine autem alludi ad vocem **σκηνὴ** Apoc. XXI, 3,  
nos non dicimus. Sed habent præterea Judæi quædam nomina  
Dei Cabalistica, ut **אֱלֹהִים**: Qvod Galat. I. c. libr. 2. cap. 15. per  
אתה גבר לעוֹלָם אֲרָנוּ **נוֹטְרִיקָן** secundam Cabalæ speciem  
*Tu fortis es in eternum Domine*, explicat. Alii essentiæ divinæ uni-  
tatem & personarum S.S. Deitatis trinitatem (cum **א** exprimat  
unitatem & **בָּ** trinitatem, quam **גָּוֹ** **אַלְ** convenire dicunt) inde e-  
siliunt. Sic etiam est nomen Cabalisticum, quod per  
eiusq; modum, qui vocatur fit ex **אֱתָבָש**: Ut & nomen  
quod olim Judæi blasphemiam ejus, qui nomen **יְהֹוָה** juxta literas  
pronunciasset, expressisse dicitur. Qvod per **גִּימְטרִיא** (cum utrum-  
que in numeris 86. contineat) fit ex **אֱלֹהִים**: Ast nugigerulis hæc  
relinquimus. Judæi siquidem quamvis Cabalam magni, imo ma-  
ximi faciant, dicentes esse **אֶמְרִי אֶמְתָּה עַל רַדֵּךְ הַאֲמָתָה** *verba ve-  
ritatis secundum viam veritatis*: A nobis tamen, cum in S.S. nul-  
lum habeat fundamentum, & ex vero possit facere falsum, flocci  
fit. Nisi quod ex Cabala illa Theoreticâ artificiali, quandoq; **καὶ**  
**ἄνθεψην** contra Judæos disputemus. Cabalam autem practi-  
cam ad Gyaras imo orcum ipsum relegamus. Nomina igitur Dei  
Cabalistica, minoris momenti sunt.

§. 16.

§. 16. Denique de nominibus Dei paganis, ob festinationem tribus saltem quidquam monemus verbis. Potissimum autem notetur, licet quædam Ethnorum nomina naturæ divinæ & sacris literis contrariantur, nihilominus tamen, quædam etiam cum naturâ Dei quodammodo congruere. Sic haberunt Ethnici ipsam vocem Θεοῦ s. Dei. Sic vocarunt Deum Ζεὺς à ζέω vivo, quod vita auctor esset: Item αὐτοῖς, quod summe bonus & omnis boni causa audiret. Item Ens Entium, quod suam Entitatem independenter haberet, & omnium Entium extra se positorum causa existeret. &c.

§. 17. Sed Nomina divina etiam dividi possunt (II) ratione significationis, in Essentialia & Personalia: Essentialia vocamus, quæ s. ratione etymi, s. ratione usus Biblici ipsum Deum, divinamque exprimunt essentiam, ut יהוה, יְהוָה, אלה, אל, אֱלֹהִים, קָדוֹשׁ: Personalia autem iterum sunt duplia, vel indeterminata vel determinata. Illa saltem pluralitatem personalium inferunt, ut אֲדֹנִי & אֱלֹהִים: Hæc determinata & præcise vel primam vel secundum, vel tertiam S. S. Trinitatis personam significant. Sie prima persona vocatur אֲבָבָב. Sam. VII, 14. ὁ πατηρ Matth. XXVIII, 19. I. Joh. V, 7. &c. Secunda בָּבָב Sam. cit. Ps. II, 7. Prov. XXX, 4. בָּבָר Ps. II, 12. ὁ υἱός Matth. III, 17. c. XXVIII, 19. ὁ λόγος Joh. I, 1. I. Joh. cit., item respectu incarnationis, מֶלֶךְ, מֶשֶׁיחַ, ὁ θεός, ὁ χριστός &c. Tertia, רוח אֱלֹהִים Gen. I, 2. Ps. XXXIII, 6. רוח קָדֵש Ef. LXIII, 9, 10. τὸ ἄγιον πνεῦμα Matth. cit. I. Joh. cit. &c. Causæ, vero cur istis prima, illis secunda, his tertia Deitatis persona insigniatur nominibus, non ad nostrum, sed Theologicum spectant forum.

§. 18. Adjuncta nominum divinorum sunt (I) Honorabilis eorum sublimitas. Agnoscent enim auctorem ipsum Deum, & ipsum quoque Deum exprimunt: Hinc non possunt non esse sublimia. Hinc etiam sedula agnitione & celebratione sunt dignissima. Hinc passionis in sacris literis Domino gloriam nominis sui dare jubemus Ps. XXIX, 2, Ps. LXVI, 2. Et nomen atque gloria Dei conjunguntur Ps. CII, 16. 22. Ef. LIX, 19. Imo Deus ut nomen tuum, ita & gloria tua, usq; ad fines mundi exclamat Psaltes regius Ps. XLIX, 4. (II) Singularis eorum incommunabilitas

cabilitas: Ut enim alias nomen uni Individuo proptium, alteri diverso convenire non potest, ita multo minus nomina Dei propria creaturis toto genere a se diversis attribui possunt. Sic nomen **יהוה** absolute & simpliciter soli Deo competit. Hinc eo respectu, nulli praeter Deum tribuitur. Idem esto judicium de: **אֱלֹהִים** אֶת־**אֱלֹהִים** (τ) in fine, itidem soli Deo vendicatur: Ergo de ne-mine praefer Deum legitur. Sic quoq; **אל** extra compositionem & absolute: **אֱלֹהִים**, **תְּהָנוּמָה** absolute & propri sunt nomina soli Deo competentia: Hinc non eo respectu, sed saltem improprie, **μιμηταῶς μεταφοριῶς**, & cum adjectionibus imminentibus ac alienantibus quandoq; de Creaturis adhentur. Vani igitur sunt praeter Judæos, Socinus, Ostorodus, Crellius, Bellarmin., Estius, Perer., Cornel. à Lapid., Zwinglius, Calvinus, Zanch., Calixt., Drejer., Latermann &c. qui etiam Angelis ceu Legatis Dei, nomina Dei propria (sc. eo respectu, quo alias Deo) in SS. tribui, ineptiunt. Sed nullum hujus rei exemplum hactenus in medium producere potuerunt. Contra communem etiam loquendi modum est, ut nomen legantis directe & in casu recto tribuat legato. Quid & ex hac sententiâ, maxima θεοφανείᾳ & αγγελοψίᾳ oritur confusio. Quare merito Magnif. Dn. D. Calov. Tom. II. System. p. 145. tam prolix ac accurate has φλυαγίας refutavit. Sed nos hac vice solum abrumpimus, divino Nomi ac Numini probenigna assistentia canentes gloriam,

repetendo:

**לא לנו יהוה לא לנו כי לשمر תן  
כבוד על-חsrcך על-אמתך:**

---

בנה רודוי היומם טוב אמרת

נפרש לנו השם התגברת:

על-כן מן נפשי נדרתי נדר:

לו גידל גידל המיר ההדר:

וישגבר שם עליון בצרה

ויפאר הוא שמר כל-תפארה:

*Per-eximio atq; Praestantisimo Dn. Rheinio, Pietatis, Eruditionis, & Morum venustate omnibus probato, Dn. Faurori & Amico suo corditus dilecto scr.*

P R A E S E S.

Aug VI 15

ULB Halle  
003 865 746

3



Sb.

Rutho

TD 17


KD 18

E



B.I.G.

FarbKarte #13



בָּרְתָּא  
RTATIO  
DE  
INIBUS  
GENERE,  
Qvam  
upremo Numine  
rimâ Leucoreâ  
ÆSES  
US Schwarze /  
ldiâ Pomeran.  
PONDENS  
EORGIUS Rhein/  
-Montanus.  
orum examini sistunt  
torio Minoris  
usti horis antemeridianis  
rias M DC LXXVII.  
EBERGÆ,  
HENCKELII, Acad. Typogr.

3